



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Johannis Trithemii Spanheimensis Primo, Deinde D. Iacobi Maioris Apvd Herbipolin Abbatis, viri suo aeuo doctiss. ... Partis Opera Historica, Qvotqvot hactenus reperiri potuerunt, omnia**

Partim E Vetvstis Fvgientibusque editionibus reuocata, & ad fidem  
Archetyporum castigata; partim ex manuscriptis nunc primùm edita ;  
Qvorvm Catalogvm Aversa pagina exhibet

Iohannis Trithemii Spanheimensis Primo, Deinde D. Iacobi Maioris Apvd  
Herbipolin Abbatis, viri suo æuo doctissimi Secvndæ Partis Chronica  
Insignia Dvo - I. Coenobii Hirsavgiensis, Diœcesis Spirensis: eius  
foundationem & progressum ab Anno Christi DCCCXXX. vsque ad Annum  
MCCCLXX. II. Coenobii ...

**Trithemius, Johannes**

**Francofvrti, 1601**

De Consecratione Ecclesiæ Et Monasterii Hvivs Sponheimensis, per  
venerabilem antistitem Wormaciensem Boggonem, Vicearchiepiscopum  
Adelberti.

**urn:nbn:de:0128-1-17336**

Tritheo

Oper  
Histor

tabulata lapideo duodecim Apostolorum Prophetarumque imaginibus pulchre (sicut adhuc cernitur) exornauit. Ad hoc sanctum opus Mechthildis vxor eius, deuotissima mulier, cum magna alacritate multa beneficia contulit; & ipsum comitem, virum suum, cœtinuis precibus pulsare non desistit, monēdo & obsecrando, vt operi cœpto finem imponere quanto citius dignaretur. Timebat enim religiosissima mulier, ne mora, quæ cunctis operibus bonis consuevit esse nociua & periculosa, sanctum viri propositum qualibet occasione mutaret. Rodolphus etiam comes, frater Megenhardi, vna cum Richarde vxore sua, pro consummatione operis non modicos sumtus impendebat.

Rudolphus comes coporator in construen- do.

DE CONSECRATIONE ECCLESIE ET MONASTERII HVIVS

Sponheimensis, per venerabilem antistitem Wormaciensem Boggonem, Vicararchiepscopum Adelberti.

COMPLETO igitur tandem incepto ædificio, hoc est, ecclesia in modum crucis formata, claustrum & domibus necessarijs, refectorio & dormitorio ad occidentalem plagam, claustrum contigujs, magnificus comes Megenhardus, antequam monachis cœnobium ad inhabitandum traderet, voluit ecclesiam, quam in multis reformauerat, de nouo (vt moris est) consecrari. Clericis itaque eiectis & alibi prouisis, Adelbertum archiepscopum Moguntinum pro consecratione ecclesie adijt, cui & votum cordis sui superintroducendis monachis ad Sponheim reuelauit. Qui reuerendissimus præsul bonum comitis propositum plurimum commendauit; & quia per se venire ad consecrationem, vt postulabatur non potuit, venerabilem Wormaciensis ecclesie antistitem Boggonem, eo tempore multis annis a sua sede expulsus, quem apud se honorifice tenuit, loco sui designauit. Anno igitur Dominice incarnationis MCXXIII. in Dominica Quasimodogeniti Buggo venerabilis episcopus Wormaciensis, vice Adelberti archiepscopi Moguntini ecclesiam & monasterium in Sponheim dedicauit in honorem beatæ Mariæ semper virginis, Dei genitricis, & sancti Martini, quondam episcopi Turonensis in Gallia, cum tribus altaribus, quorum maius in memoriam (vt diximus) Dei parentis & sancti Martini fuit consecratum. Aliud in abside versus meridiem consecrauit in memoriam S. Iohannis Euangelistæ. Tertium in abside versus Aquilonem ad introitum claustrum, in honorem sanctorum Petri & Pauli Apostolorum. Reliqua vero altaria successu temporis postea erecta fuerunt.

Buggo episcopus in Wormacia hunc locum consecrauit.

DE PRIMIS DVODECIM MONACHIS, QUI HVNC LOCVM ACCEPTARUNT & PRIMO INHABITARE CœPERUNT, QUORVM OCTO FUERUNT SACERDOTES, & QUATUOR CONVERSI.

ANNO ab incarnatione Domini nostri Iesu Christi MCXXIII. Indictione secunda, sub Henrico Imperatore Quinto, comes Megenhardus, huius loci fundator in clytus, ipsum monasterium cum ecclesia & omnibus pertinentibus eorum, ordini sanctissimi patris nostri Benedicti in perpetuam possessionem tradidit, monachisque ad inhabitandum dedit. Primi autem Monachi, qui hunc ipsum locum primitus inhabitare cœperunt, numero XII. de monasterijs sanctorum Albani & Iacobi prope Moguntiam, ex imperio Adelberti archiepscopi, ad instantiam comitis Megenhardi venerunt, anno prænotato, in quarta feria post Dominicam Dominicæ passionis. Quorum octo fuerunt sacerdotes, & quatuor conuersi, viri præclari & insignes, quorum aliqui ante ingressum religionis dudum in seculo militauerant: quorum ista sunt nomina: Bertholdus presbyter, Diemus presbyter, Adelbero presbyter, Anshelmus presbyter, Ergenbaldus presbyter, Herboldus presbyter, Sifridus quoque presbyter: Benno conuersus, Lupoldus conuersus, Hartungus conuersus, & Emicho conuersus. Isti XII. fratres partim ex monasterio S. Albani prope Moguntiam (sicut diximus) partim vero ex cœnobio S. Iacobi ibidem, sunt assumpti. Qui cum venissent ad præsentem locum; honorifice satis à comite Megenhardo & eius vxore suscepti sunt, & cœnobium eis solenniter traditum inhabitare cœperunt. Possessione igitur in Dei nomine adcepta, præfati monachi sibi in abbate & pastorem elegerunt secundam regulam monasticam vnanimiter Bernhelmum monachum præfati cœnobi S. Albani, de quo postea dicemus. Prior claustralis institutus est Bertholdus venerabilis senex, & per annos XIII. strenue officio prioratus in hoc loco præfuit; porro Adelbero Cellarius monasterij factus est, & annis multis præfuit: qui cum esset vir bonus & prudens, multa huic monasterio bona fecit.

Primi monachi de Moguntia conuenerunt 12.

Nomina monachorum 12.

1. abbas Bernhelmus.

DE